DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRE CONTINUA.

10

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

FEBRE CONTINUA;

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES GARRACK, A. M.

SCOTUS,

COLLEG. REG. CHIRURG. LONDIN. SOC.

VIII. Calendarum Julii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JACOBUS BALLANTYNE.

1805.

AVUNCULO,

JOANNI FARQUHAR,

ARMIGERO;

QUI

IN

INDIA ORIENTALI,

BENGALÆ POTISSIMUM,

TRIGINTA QUATUOR AMPLIUS ANNOS

HONORIFICE PEREGRINATUS EST;

PRISCA FIDE

VIRO,

CUJUS MUNIFICENTIÆ

TANTUM NON OMNIA

DEBET;

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

ANIMO GRATO

ET

SUMMA OBSERVANTIA

D. D. DQUE

JOANNES GARRACK.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

FEBRE CONTINUA.

PROŒMIUM.

Morborum, quibus patet humanum genus, utì nullus continuâ febre frequentior est, totiusve corporis valetudinem magis perturbat, ità nullus sæpiùs lethalis est. Neque enimvero corpus solùm hâc febre laborat. Animus quoque haud raró turbatur, adeò ut mens neque præterita benè reminiscatur, neque de præsentibus sanè judicet, neque res perceptas, in me-

moriamve revocatas, perindè, ut sana solebat, disponat, variet, mutet.

Ubique orbis terrarum, febris, quam persequimur, mortales nonnunquàm invadit. Tanta autem cœlorum, regionum, locorumque varietas est, et adeò diversa gentium victus et mores, ut haudquaquàm ei eadem ubique sit facies. Quæ autem dicturi sumus, eorum pleraque febris, quæ apud nostrates solet grassari, propria sunt.

Continua autem febris, vel in nostra regione, vi adeò variat, ut fuerint, et haud scio annon etiam sint, medici, et hi quidem magni atque nobiles, qui, duas continui generis esse febres, censerent.

Harum unam, quippe cùm, præ altera, esset levis, raró periculosa, atque iis perindè videretur, ac si omninò, vel maxima saltem ex parte, in nervis consisteret, *MITEM* modò, modò *LENTAM*, interdùm *LENTAM NERVOSAM*, nomina-

bant. Hujusmodi forsan plerumquè erat febris, quum affecerit opulentos, eosve mediocribus opibus, qui tam in domibus, et corporis cultu et vestitu, quàm in victûs ratione, commoditatum et munditiarum erant studiosi.

Altera verò febris, utpote quæ non solùm gravis esset, lethalis, et potissimùm sæviret in custodiis publicis, navibus longis, et valetudinariis, aliisque arctis locis magnâ vi hominum confertis ; sed etiam faceret haud raró, ut vel vivi putrescerent, eòve saltem, ut putrescerent, inclinarent ; appellabatur jam *PUTRIDA*, jam *MALIGNA*, jam *PETECHIALIS ;* nunc *FEBRIS CARCERUM*, nunc *NAVIUM*, aliquandò *VALETUDINARIORUM*.

Nunc autem inter plerosque consentitur, has febres genere convenire. Verùm conceditur tamen, nonnunquàm vi usquè eò variare, ut nonnullis perindè videantur, ac si essent morbi genere prorsùs diversi.

Res, quæ febrem continuam adeò aggravent, ut haud perperàm cognomine appelletur *PUTRIDA* seu *MALIGNA*, numero sanè plurimæ sunt. Harum verò præcipuæ sunt tecta et loca, quæ vel ipsa haud perflabilia sunt, vel liberum non habent perflatum; magna vis hominum conferta in arcta loca; et hæc vel situ, incultu odoreque fœda, vel coarctatorum exhalationibus sordibusque gravia. Hujusmodi causis pestilens vis, seu tabes, adeò augetur, ut, in corporibus eâ affectis, morbum pessimum et persæpè lethalem excitet.

Contrariorum autem contraria sunt consequentia. Nam munditia in vestitu et cultu corporis, et in omnibus victûs partibus; tecta et cubicula spatiosa, et perflatum habentia; plurimùm, grassantem ad pestilentiam infirmandam et compescendam, imò haud scio annon etiam prorsùs exstinguendam, valent. Atque adeò, vel in his, qui contactu ægrotorum, aut ministeriis in vicem, tabo affecti, morbo laborant, munditia et salubris aër graviora, si qua

urgent, mala sæpè haud parùm levant. Quem enimvero ad modum perflatus grassantem febris vim pestilentem languefaciat, expositu haud difficile est : quippe, præ suâpte naturâ dissipabilis, quo magis aëre dissipatur, eo imbecillior fit ; neque vero absimile est, usquè eò diffundi posse, dum fiat prorsùs iners et innocua.

Apud nostrates quoque, et fortassè etiam apud exteras gentes, febris, quam agitamus, ætate, sexu, corporisque constitutione variat, itemque anni tempore quo grassatur. Nam juniorum, corporis valetudine firmorum, qui, frigidâ tempestate febrem nacti, lecto tenentur, cor et arteriæ vehementiùs et crebriùs micant, quàm, rebus prorsùs contrariis, solent ; ideoque, potissimùm initio, urgent mala, qualia afferunt febres, quæ partium, præcipuè vitalium, inflammationibus oriuntur.

CAP. I.

De Continuæ Febris Historia.

Rerum, quibus in conficienda hujus febris historia usi sumus, plurimas ex scriptis excerpsimus Huxhami; qui haud minùs in morbis describendis accuratus et fidus erat, quàm in curandis promptus et felix.

Quo tempore invadat continua febris, præsertìm levis, noscere difficillimum est. Nam adversa initio valetudo levior plerùmquè est, quàm ut querelam moveat; neque, nisi post aliquot dies, tanta fit, quanta lecto ægrum affigat.

Incipiente invaletudine, homo se movere pigratur: horror, vicissimque calor, corpus leviter

percurrunt: artus perindè lassescunt, quasi labore defatigati: animus se contrahit et demittit: caput vel dolet plùs minùs, vel gravedine et vertigine afficitur: stomachus, fame pariter ac siti sopitis, omnem æqualitèr victum fastidit, neque raròò, nauseâ æger, insulsam revomit pituitam.

Complures nonnunquàm horas interquiescunt mala; dein, præsertìm appetente vespere, revertuntur, et sub noctem ingravescunt. Caput majore gravedine et vertigine afficitur: magis incalescit summum corpus: crebriùs et celeriùs, at imbecilliùs, agitantur cor et arteriæ: urgent anxietas, et spirandi difficultas. Simul occiput obtusè dolet, aut ægro proindè videtur, quasi torperet, aut inalgesceret; neque rarò gravis suprà dolor est, viâ quâ ducit sutura coronaria. Obtusi hìc et in occipite dolores continuas plerumquè febres comitantur, et, iis conquiescentibus, plùs fermè minùsve labat animus.

His malis affectus, facie simul pallidâ et lugubri vultu, æger quinque sexve dies manet, utì haud perinfirmus, ità minimè validus. Intereà impatiens quietis est, anxius, et plerumquè insomnis. Interdùm quidem veternosus est, et assidentibus videtur obdormiscere; sed, sibi somni inconscius, percunctantibus negat se somnum cepisse.

Arteriarum intereà motus sunt celeres, imbecilli, et cùm vi tum temporibus inæquales. Sexagesimâ horæ parte, plerumquè plus centum sunt; nonnunquàm tremuli, et, per paucas sexagesimas horæ partes, tardi, imò et intermittentes: dein, rubore faciem subitò suffundente, perceleres fiunt; et fortassè haud multò pòst, præter spem, tranquilli et æquales. Sic arteriarum motus accelerant se, vicissimque tardescunt.

Horrores et calores, qui alternis vicibus permanant corpus, æquè inconstantes sunt et inæquales. Quippe nonnunquàm genæ derepentè

incalescunt rubescuntque, dum inalgescit nasi auricularumque extremitas, et in fronte gelidus sudor oritur. Imò faciem tùm suffundi sanguine, et incalescere, quum inalgescant membrorum extremitates, haud insolitum est.

Pallida plerumquè urina est, sæpè limpida, haud rarò lactis sero, vetustæve cerevisiæ tenui subsimilis. In ea nihil subsidit, at innatant quædam, quæ, inæqualiter diffusa, furfurem repræsentant.

Morbi initio, lingua raro, aut ne raro quidem, sicca est, decolorve; sed tenui aliquandò albidoque illita muco. At, morbo progrediente, sub finem maximè, demùm arida fit, rubra, rimosa, colore pomi granati cortici persimilis. Quantumcunquè arida lingua et labia videntur, æger, etiamsi de illius nonnunquàm calore conqueratur, raro tamen sitit.

Septimo ferè morbi die aut octavo, capitis gravitas, dolor, et vertigo, multùm augescunt.

Aures sonoribus plenæ sunt; earumque tinnitus ægrum perpetuò inquietat, neque raró facit, ut mente alienetur. Ingravescunt gravitas præcordiorum, anxietas, et languor; et haud raró æger, quum in lecto se attollat, animâ deficit. Quo tempore genæ, et manuum palmæ, præter modum, incalescunt, in superioribus harum partibus ét in fronte erumpit gelidus sudor, qui brevi desinit.

Quò ubì perventum est, si urina magis pallet et perlucet, æger raró non, pòst paulò, desipit, simulque nervi tremiscunt et singultant. At is tamen rarissimè adeò insanit, ut insurgat, et violentèr se gerat, atque impetu peccet; sed, quasi mente confusus, et, quid dicat faciatque, insciens, perpetuò titubante linguâ sibi mussitat. Aliquandò, tanquàm somno subitò exsuscitatus, expergiscitur turbatus animo; dein mentem paulispèr componit; tùm submissâ denuò voce incipit delira fari, et veternosus fieri.

Eodem ferè tempore, lingua, in media potissimùm parte, perarescit; sed aliquantùm flavet, ex utroque margine. Simul exserta multùm tremit motibus.

Die, à febris accessu, nono decimo duodecimove, copiosi inopinatò oriuntur sudores, qui in extremitatibus gelidi plerumquè sunt, et lenti. Simul ferè papulis, magnitudine et specie milii seminum similibus, efflorescit summa cutis. Dum sic insudat summum corpus, persæpè alvus fluit, atque, viribus plus unâ viâ diffluentibus, corpus quasi colliquescit, plurimùmque debilitatur. Ubì autem corpore æqualitèr toto oritur tepidus sudor, et alvi fluxus modicus est, conquiescunt haud rarò delirium et veternus.

Nunc, nisi febris in salutem inclinet, omnia in pejus ruunt. Membrorum extremitates frigescunt. Pallent, liventque ungues. Arteriæ adeò non æqualitèr ordinantur, ut trepidulis palpitent motiunculis, quæ vix distingui pos-

sint: aliàs tardissimè formicant, et persæpè paulispèr interquiescunt. Nunc usquè eò torpent sensus, ut æger, licèt febris initio sonorum et lucis impatiens, diutiùs nec audiat nec videat. Devincit membra sopor lethalis. Illachrymantur oculi. Urinam vesica, ægro nesciente, egerit, stercus alvus. Demùm, modò decimo quarto die, modò duodevigesimo, modò vigesimo, modò multo seriùs, vel sopore gravatus, vel omnes unà musculos convulsus, æger extremum halitum efflat, et mortalitatem explet.

Ubì febris inveteravit, haud raró, sub finem, supervenit fatuitas; quæ tamen, finitâ febre, et viribus revalescentibus, paucis plerumquè hebdomadis gradatìm decedit. Haud raró eorum, qui graviore continuâ febre laborant, summum corpus suffuso sanguine decoloratur notis, quæ, pro figura et latitudine, *MACULÆ*, *PETECHIÆ*, vel *VIBICES* appellantur. Hujusmodi decolorationes, tertio nonnunquàm die quartove, apparent; aliàs, non ante undecimum; ali-

quandò, seriùs. Plerumquè tamen non priùs se manifestant, quàm continuaverit aliquandiù febris, ægrotumque multùm infirmaverit. Quippe, nostrâ ætate, omnes ferè medici consentiunt, sanguine effici, quem arteriæ, subter cutem dispersæ, et cæteri corporis debilitatis participes, patulis surculis suffuderint.

Notæ, quæ summam cutem decolorant, latitudine et figurâ multùm inter se differunt. Ex his enim nonnullæ latitudine milii semen æquant; aliæ sesquidigitum ferè transversum patent, aliæ duos pollices; nonnullæ, in longitudinem diffusæ, eas referunt notas dedecorosas, quibus fœdantur militum terga, in quæ à delictorum militarium vindicibus flagello sævitur. Utì his notis latitudo et figura non constant, ità neque color. Quippe modò floridæ sunt, modò nigræ aut violaceæ, aliquandò aliquo intermedio colore. Hujusmodi notis primùm plerumquè deformantur pectus, dorsum, collum, et brachia.

Nonnunquàm vesiculæ aquosæ erumpunt, potissimùm in pectore; sed morbo necne efficiantur, haudùm satìs constat.

Aliquandò etiam intumescunt glandulæ *parotideæ*, *submaxillares*, et aliæ quædam; at rarissimè tamen, aut nunquàm suppurant. In aliis aliás summi corporis partibus oriuntur phlegmonæ, quæ, ubì, ut sæpè, abscedunt, multum ægro doloris et molestiæ afferunt.

Eæ nonnunquàm partes, in quas, præ cæteris, decumbit æger, gangrænâ corripiuntur: at tùm maximè, quum non satìs cavetur, ut siccæ et mundæ serventur. Sub finem enim malæ febris, fæces interdùm et urina, nolente aut insciente ægro, excernuntur: quæ, nisi statìm iis depurgetur corpus, summam irritant cutem; et inflammationem movent erysipelati assimilem, et aptam quæ abeat in gangrænam. Quod malum, quo latiùs patet et longiùs, eo plus periculi affert; quamvis interdùm, ut

accepimus, neque fœtorem habeat, neque ægrum adducat in discrimen.

In hac febre sunt, nostrâ saltem opinione, nulli dies, qui *DECRETORII* seu *JUDICIARII* rectè appellari possint. Ægri morbum tanquàm obdormiscere videntur; quippe cùm plerumquè sensìm subsidat et desinat, sine salutifero sudore, urinæve sedimento.

Historia malorum, quam tradidimus HUXHAMI scriptis electam, neque mitissimæ febri continuæ, per omnia, convenit, neque gravissimæ quidem; sed potiùs mediæ, has inter extremas.

Gravissima hujusmodi febris plerumquè magis subitò et majore impetu invadit. Haud raró hominem derepentè adoriuntur vehemens nausea atque vomitus; magna animi demissio; ingens capitis dolor; vertigo; caligo, aut cæcitas; tantaque musculorum debilitas,

ut, propriis pedibus ambulandi consistendive impotens, titubet aut corruat.

Horrores, si qui corpus percurrunt, ægrum graviùs tremefaciunt. Calores, initio subiti, fugaces ac remittentes, pòst aliquantò fervidiores fiunt, et perstantiores. Arteriarum pulsùs duriores quidem sunt, at plerumquè simul celeres et exigui. Interdùm tamen sunt aliquandiù tardiores, et videntur tactu inter se æquales; dein fiunt turbati, et inæquales. Oculi semper apparent tumidi, hebetes, sufflavi, persæpè paululùm inflammati. Facies inflata videtur, et languido colore in cadaverosum vergente. Spiritum, qui ferè difficilis est et operosus, subindè interpellant suspiria; atque anima, quæ identidem singultìm redditur, fervida est et fœtida.

Lingua febris accessu albescit; dein fuscior quotidie fit, et siccior. Nonnunquàm livore splendet, nisi ubì apex vesiculâ obscuratur. Aliquandò nigret, et, per complures dies con-

tinuos, nigra manet; imò nonnunquàm nigror ei inhæret complures pòst dies, quàm febris inceperit ad salutem inclinare. Ubì febris ad summum pervenit incrementum, lingua plerumquè perarida fit, et aut pernigra, aut saturatiore colore pomo granato assimillima. Hinc æger verba articulatè enunciare non potest, neque, quid dicat, intelligere assidentes.

Hâc febris varietate increscente, plerumquè æger vehemente siti, nonnunquàm insedabili quidem, conflictatur. Nulliusmodi tamen potus placent: quippe languido palato omnes pariter amari videntur; ægro stomacho omnes pariter nauseosi. Aliàs autem, id sanè quod mirum, tametsi os et lingua admodùm sordida sint et arida, parùm tamen sitit æger.

Labia et dentes, præcipuè sub finem morbi, tenace sorde nigrescunt.

Signis étiam, quibus cognoscatur gravior febris continua, accedunt magna vis doloris,

temporibus oculorumve orbitis inhærens; fervor vehemens; gravissimus ad cordis scrobiculum dolor; magna stomachi irritabilitas; ingentes dolores musculorum, eorum verò maximè, qui dorso et lumbis inseruntur; intolerabilis animæ et excretorum fœtor; ingens *petechiarum* vis, vibicumve amplitudo, simulque livor aut nigritia; cruenta et fœtida alvi proluvies; ulcuscula linguæ fauciumque subalbida, aut saturati coloris.

CAP. II.

De Continuæ Febris Causis.

HAUD ità pridem credebant medici, plurimas causas, præter tabem sui similem, febrem continuam excitare posse. Nostrâ verò ætate, consentitur inter plerosque, hanc febrem vi pestilente oriri; et res cæteras, utpote quæ corpus debilitent, tantummodò reddere homines aptos, quos febre pestilitas afficiat, vel, quod idem valet, ejusmodi esse causas, quas cognomine *PRÆDISPONENTES*, ipsorum linguâ, appellent medici.

Neque tamen, quæ corpus debilitant, ea sola mortalium corpora huic febri opportuna reddunt: cùm præsertìm in hanc nonnunquàm

incidant mortales, qui, quòd observârunt et reminiscuntur, fuerint nullis causis debilitati; et vel debiles exponantur infirmantibus causis, neque tamen eâ corripiantur.

His cognitis, æquum est concludere, medicos vel etiamnum ignorare, in qua corporis conditione consistat hanc in febrem proclivitas, et quæ proclive corpus reddant; vel saltem debilitantes causas, si proclives quidem in eam mortales faciant, aliud præterquàm debilitare. At verisimillimum tamen est, quicquid mortalium corpora infirmet, idem apta reddere, quæ non solùm continuâ febre afficiantur, sed etiam jam affecta in majus, sub finem, adducantur discrimen. Quum ità sit, quæcunque mortales debilitant, eadem quàm maximè evitanda sunt.

Quo modo tabum pestiferum sui simile reddat corpora apta, quæ febre afficiantur, prorsùs nesciunt medici. Rem enimvero naturâ perdifficilem et perobscuram, et reconditiorem

quàm ut mente satìs concipi possit, investigare vanum esset: cùm præsertìm non solùm medici in tanta humani etiamnum corporis ignoratione versentur, ut satìs intelligant, neque functiones cæterarum partium, neque quibus muneribus fungantur cerebrum et nervi; sed etiam nihildum certi, de hujus morbi causis, sede et effectibus, incisa cadavera patefecerint.

Medici tamen, quò hac de re minùs sciunt, eò conjectant confidentiùs. Eorum verò ineptiæ, quippe cùm ad intelligentium fidem parùm aptæ sint, improbandæ sunt magis quàm laudandæ. Neque enimvero hoc mirum: quippe experimentis et observatis rerum physicarum scientia excolenda est et amplificanda, non opinationibus assumptionibusque; et, qui unam jam cognitis rem periculo compertam, observandove exploratam addiderit, idem de medicina meliùs merebitur, quàm qui, ingenio fretus, et novarum rerum potiùs quàm verarum cupidus, sexcenta commenta excogitaverit.

CAP. III.

Quemadmodùm prœcaveri possit, ne gignatur tabum, neve genitum vulgetur.

Tabum, quo pestilentes morbi excitantur, est natura sui similis, modò perennis, modò identidem genita. Hujus generis id est, quo movetur febris continua.

Tabes continuæ febris effectrix seu concitatrix, si non ex toto, saltem magna ex parte, gignitur calore, humore, impuro aëre, et collectâ omnigenâ sorde humanâ. Quum ità sit, sæpissimè ortum capit in locis magnâ vi hominum confertis, et quæ simul perflatum non habent. Hujusmodi autem sunt custodiæ publicæ; naves longæ, ac carcerariæ; et valetudi-

naria, quorum commoditatibus ac munditiis publicè non satìs consulitur.

Tabes ejusmodi seminibus nata, in corporibus aptis, quæ penetret ac inquinet, et in quibus vigescat, continuam excitat febrem. Febre progrediente, in corpore ægroti modo aliquo nondùm satìs cognito generascit alia tabes, parenti prorsùs similis; quæ, dummodò in alia apta corpora transferatur, ejusdemmodi febrem movet. Transfertur autem tabes, et translatâ vulgatur morbus, aut ægrorum contactu, pestiferisve eorum corporum exhalationibus; aut rebus intervenientibus, quæ vel ipsæ ægris contiguæ fuerunt, vel ex aliis, quæ fuerunt contiguæ, tabem acceperunt.

Intermediæ naturæ, quæ pestiferam tabem avidissimè appetunt, et absorbent, et à medicis *FOMITES* appellantur, sunt vestes laneæ, xylinæ, et linteæ, præsertìm sordidæ. In hujusmodi fomitibus, quippe in quibus diù retineatur, neque tamen languescat, potest terrâ ma-

rive invehi in regiones longè dissitas, atque in mortalibus aptis, qui eâ afficiantur, febrem resuscitare.

Nonnunquàm, id sanè quod mirum, tabum pestilens febris efficiens eos non afficit, inter quos gignitur. Eorum verò contactu, vel pestifero odore ex eorum corporibus exhalato, alii morbum nanciscuntur. Multi sic haud ità pridem intercepti LONDINII sunt in custodia publica *, ubì judices de reis rerum capitalium cognoscebant †. Vel ii autem in publicis custodiis detenti, quamvis tabo inter eos nato impenetrabiles inexpugnabilesve sint, ejusdem tamen prole, quam, translatum in aliorum corpora, febre excitatâ genuit, facilè inficiuntur.

In quantam distantiam pestilens natura febris continuæ agat in sana corpora, nondùm accuratè noscunt medici. Quò verò minùs

---

* OLD BAILEY dictâ.

† Vid. PRINGEL. *Army Diseases*, pag. 330.

diffusa aëre et quasi diluta est, eò fortassè longinquiora vi suâ penetrat. Plerique autem auctores putant, haud longè se diffundere; et, qui non minus decem duodecimve pedes ab ægro distet, eum plerumquè à febre tutum esse.

Neque enimvero convenit inter medicos, quâ viâ tabum, quo nascitur febris continua, in corpus invehatur. Sunt, qui per pulmones intrare censeant. Alii contendunt, recipi per summum corpus. Placet aliis, devorari, unà cum saliva et alimentis, in stomachum. Proxima sententia, utì putant ejus auctores, haud parùm confirmatur, quòd stomachus prima corporis pars est, aut in primis, quæ accedente febre turbetur.

Sed, quum tabum, quo nascitur continua febris, sit, ut nostrâ ætate plerique putant, subtilissima natura, nihil videtur, quamobrèm non harum viarum modò unâ corpus introëat, modò aliâ, modò omnibus simul.

Quamdiù in corpore tabum continuæ febris efficiens antè lateat iners, quàm hanc excitet, nondùm certò cognitum habent medici. Verisimillimum tamen videtur, neutiquàm in omnibus æquè corporibus citò vigescere. Mortalium enim, qui in hanc febrem inciderunt, nonnulli, ut senserunt ipsi, correpti sunt, statìm ut tabum ab ejus natali solo, vel locis eo aliundè invecto imbutis, vel fomitibus acceperunt. Alii tabo imbuti, nihilo tamen minùs quinque sexve hebdomadas à febre integri manserunt.

His contrariis cognitis, vero proximum videtur, quo plus tabis corpus penetrat, et quo immanior vis est, eo citiùs febrem movere; et contrariorum contraria esse consequentia. Atqui, quum, tabis quantitate et vi iisdem, omnes similitèr imbuti nequè æquè cito nec æquè tardè morbum nanciscantur, concedendum est, præter has res, necesse esse aliæ sint, quæ in imbutis corporibus febris accessum properent aut retardent. Hæ fortassè sunt ignota quædam corporis ipsius proprietas, aut incognitæ res aliquæ fortuitæ.

Quo citiùs tabes imbuti corporis valetudinem perturbat, eo, ut animadverterunt medici, gravior febris erit futura. Primo enim impetu vitales corporis vires usquè eò franguntur, ut, in certamine acri, nonnunquàm longo, nequeant sese recolligere, et sæpè morbo prorsùs exsuperentur. Tabi, quo repleti fomites sunt, tanta interdùm est vis seu immanitas, ut vitam confestìm exstinguat.

Ne natura pestilens, quâ oriatur febris continua, in navibus gignatur bellicis, custodiis publicis, valetudinariis, stativis castris, et in arctis incommodisque egenorum urbanorum tectis, oportet liberum quotidie perflatum habere, neque nimiâ impleri multitudine. Siquandò reipublicæ necessitas exigat, ut in ea constipetur magna vis hominum, cavendum est præfectis, ut in vestitu et cultu corporis, et in cæteris vitæ partibus, summa munditiæ ratio habeatur. Docet enim experientia, ut nihil potentiùs obstat, ne gignantur febrium pestilentium semina, quàm fastidiosa munditia, ità

nihil ad gignenda et fovenda plùs posse, quàm vituperandam munditiæ negligentiam.

Cùm, his neglectis, genita est tabes, tùm, ne longè latèque inter homines, in arcta loca confertos, febrem spargat, cavendum est, ut, primo quoque tempore, affecti, itemque qui in eo esse videntur ut afficiantur, à sanis segregentur; neque his permittendum, ut, ultrà quàm necessitas postulet, cum illis communicent; et ne hoc quidem, nisi cautissimè.

Quò vis tabis pestilentis infringatur, aër eâ vitiatus debet quàm maximè diffundi. Hoc consilio, aëri circumfluo permittendum est, ut undique, per quàm plurimos possit introitus, loca inquinata irruat et perflet. In hujusmodi locis, utile erit ignes accendere, ut corruptus aër, calore diffusus, auris puris in ea irruentibus minùs obstet. Num ignis ipse, aut fumus, per se, quid possit ad tabem exstinguendam, nondùm satìs comperti sunt medici. Attamen vero haud absimile est, aliquantulam hujusmodi vim possidere.

Quò verò tabo pestilente aëra et fomites repurgarent, medici, omni ævo, ea suffire consuêrunt vaporibus, quos res quædam flammis opportunæ tùm exhalant, cùm comburuntur. Res autem, quæ, hunc in finem, vel seorsùm, vel complures simul, incensæ, potentes vapores edunt, sunt ligna resinosa, *tabacum*, sulphur, *pulvis nitrocarbosulphuricus*, *nitras potassæ*, pix, aliaque si qua assimilia.

Vapores quoque ex aceto ebulliente, et acetum frigidum vestibus et supellectili aspersum, perutilia sunt; fortassè non tam tabe exstinguendâ, quàm purificando aëre, et suffocandis fœtidis odoribus; quibus sanè nihil et ægris ipsis et assidentibus plus habet injucunditatis. *Pulvis nitrocarbosulphuricus* et acetum, modò eâ copiâ commista sint, ut tardè flagrent, vapores exhalant, qui, ut comperti sunt medici, ad aëra et fomites pestilente tabe expurgandum haud parùm pollent.

Quò sive iis naturis, quas diximus, sive aliis

efficacioribus, quas infrà sumus expædituri, infecta loca et corpora suffumigentur, ut inhærens iis tabum pestilens dissipetur aut exstinguatur; vapores paucas horas cohibendi sunt clausis foribus et fenestris, ne, quoquoversùm diffusi, vim suam salutiferam, ex parte, amittant. Inter vapores, sic ab omni parte inclusos, affecti hominum, si qui, debent tamdiù manere, quamdiù, sine magno incommodo et anxietate, spirare possint.

Fomites, quoties id tutò fieri possit, delendi sunt, aut ignibus eos comburendo, aut in mari submergendo, aut terræ infodiendo, ne eorum exhalationes aëra inquinent.

Dura autem corpora, quibus inhæreat tabum, et quæ ejusmodi sunt, ut non possint, sine gravi damno, comburi, vel alioquìn deleri; ut tectorum parietes et tabulata, navium fori seu constrata, et parietes; debent, vel ante vel post suffitionem, acritèr abradi primùm, deindè detergeri aut aquâ, aut hâc cum sapone, aut

eâdem cum aceto. Multùm tùm proderit novo pigmento illinere, aut gypso dealbare; quippe quæ opera, ad tabem exstinguendam, multùm polleant.

Inquinata corpora mollia, ut hominum et lectorum vestes, quas aliquandò publica aut privata utilitas vetat delere, debent aquâ frigidâ aliquandiù macerari, dein benè lavari, tùm aëri exponi. Ante vel post hoc opus, suffumigari debent salutiferis vaporibus. Quoties ejusmodi sunt, ut possint, fabricâ tutâ, nec macerari nec lavari, debent aëri undique circumfluo diù objici, et penitùs fumigari.

Nupèr compererunt medici, vapores ex incenso *acido nitrico* plùs posse, quàm cætera quæ exposuerimus, ad tabem exstinguendam; sive hæc aëri innatet diffusa, sive duris inhæreat naturis inanimis. Hoc, quum parvi possit parari, et commodè adhiberi, neque, qui aëra ejus vaporibus imbutum spirant, ii multum hinc molestiæ capiant, plerumquè optimum videtur,

quo loca corporave, tabe pestilente affecta, suffumigari possint.

Quò vapores *acidi nitrici* parentur, opus est, ut *nitrati potassæ*, in pulverem redacto, infundatur *acidum sulphuricum*: quo fit, ut *sulphas potassæ* formetur; et *acidum nitricum*, à *potassa* repudiatum, oriatur vaporum formâ. Ut hoc opus meliùs procedat, proderit, vas, quod misturam continet, calidæ arenæ imponere.

Vapores etiam *acidi muriatici*, ad tabem pestilentem exstinguendam, multùm possunt, et plùs adhuc ii *acidi oxymuriatici*. Hi tamen aëra sic vitiant, ut non possint tutò in pulmones accipi. Quum verò etiam plùs polleant, quàm vapores *acidi nitrici*, optimi sunt, quibus vitiata tabo loca incolis vacua, et inanima corpora, tabe pestilente purgari possint.

CAP. IV.

De Diagnosi.

FIERI interdùm potest, ut continuam febrem dignoscere à remittente, paludum exhalationibus orta, sit difficillimum. Si ex nave, quæ in anchoris stat haud procùl à litore paludoso, nautarum nonnulli, in terram egressi, nanciscuntur febrem, postquàm redièrunt ad navem; vel etiam alii nautarum, qui ex nave non exscenderunt: initio incertum sit, an continuâ laborent, an remittente; eoque magis, si, ut interdùm, sit, quamobrèm in nave esse pestilentem tabem, continuæ febris genitricem, medicus opinetur.

Ægrorum autem multùm interest, medicum distinguere, utro morborum afficiantur; propterea quòd medendi ratio, quæ remittenti con-

veniret, continuæ parùm idonea esset, imò etiam aliena.

Ubì medicus animi dubius est, utrâ febrium æger corripiatur; nihil est undè cognoscat, nisi investigando quantùm possit, quâ causâ orta sit. Si nihil noverit, undè in nave tabum existere putet; si in salo navis teneatur in anchoris haud longiùs à terra, quàm ut ad eam pervenire possint paludum halitus; vel navalium sociorum nonnulli exscensum in terram fecerint: non erit, quamobrèm dubitet, febrem esse remittentem. Sin, inter nautas, tabes pestilens genita est, medicus non poterit, utra febrium urgeat, discernere. Quamdiù sic animi incertus erit, oportebit ambiguam febrem, tanquàm continuam, curare.

CAP. V.

De Prognosi.

Quum bonis continuæ febris signis mala nonnunquàm subitò superveniant, et malis bona; medicus, utì futuræ salutis non nimìs confidens, ità futuri periculi non ultrà modum metuens, esse debet. Plerumquè verò, quo levior ab initio morbus fuit, eo minùs periculum extimescendum est, et, quo gravior, eo minùs exspectanda salus.

Ex quo tempore florebat Hippocrates, medicorum nonnulli crediderunt, quosdam, præ cæteris, esse dies, quibus ad salutem inclinaret continua febris. Hi igitur à Græcis *critici*, à Latinis *decretorii* seu *judiciarii*, appellati sunt. His verò medicis concredere non

possum; proptereà quòd, quatenùs etiamnum cognita natura hujus febris et humani corporis est, nihil apparet, quarè illa quibusdam diebus, præ cæteris, declinare inciperet. Præterquàm enim quòd argumenta, quibus decretorios dies stabilire aggrediuntur medici, conjecturaralia sunt, ipse dies, quo invadit febris, plerumquè non potest certò cognosci. Quo incognito, qui dies decretorii sint, qui non, medicus non potest discernere.

Primum ferè, quod febrem continuam eò, ut ad salutem perveniat, inclinare portendit, est, ubì, potissimùm sub finem secundæ hebdomadæ, lingua, primùm ex marginibus, dein paulatìm in cæteris partibus, incipit fieri humida et nitida. Hinc enim præscire medicus potest, oris et faucium glandulas propè esse, ut proprium denuò humorem secernere incipiant. Eodem nonnunquàm tempore solito plus exspuit, et ore salivat æger, atque humescit cutis; et, brevi plerumquè pòst, conquiescente siti, redit ciborum appetentia.

Quo ferè tempore decrescit sitis, summâ ubique cute oritur sudor copiosus et tepidus; qui, ubì inter diem undecimum et decimum quartum sponte erumpit, plerumquè salutifer est. Interdùm, sed rariùs, citiùs hoc tempore febris declinat in salutem. Utì hujusmodi sudor mitis morbi testimonium est, ità sudor lentus, frigidus, nec corpore æqualitèr omni, nec sponte ortus, nunquàm indicat, febrem in eo esse, ut decedat.

Levis alvi fluxus, præsertìm quem comitantur lenes sudores, adeò non malum signum est, ut haud rarò febri finem ponat.

Neque verò malum signum est, ubì phlegmonæ in summo corpore ortæ abscedunt; quippe sunt medici, qui earum suppurationem facere, ut ad salutem inclinet febris, censeant. Verùm, ità tamen necne sit, nondùm satìs constat.

Neqûe terrere debent *petechiæ* subrubræ, vel

ex saturatioribus subrubræ evadentes: delirium non ante secundam hebdomadam, et tùm quidem mite, fugax, quale obdormiscenti expergiscentive accidat: surditas: veternus, per complures dies, vel etiam hebdomadas; modò non in stuporem abeat; et æger possit exsuscitari, et alloquentibus respondere, licèt paululùm mente confusus sit, et, assumptis oblatis, protinùs in somnum recidat.

Licet quoque scire, ægrum non periclitari, cujus stomacho vinum haud alienum sit. Quippe hoc sustinet vires musculorum; arteriarum pulsus validiores reddit, neque tamen celeriores, sed sæpè tardiores; et dolorem capitis mitigat, et delirium. Contrà æger in periculo est, cujus stomachus vinum fastidit aut respuit. Præterquàm enim quòd utilitatem à vino non percipit, fastidium indicat stomachum usquè eò infirmari, ut, quibus medicamentis et remediis ad salutem perducatur febris, ea accipere et ferre nequeat.

In periculo versatur æger, qui, sive medicorum, sive assidentium inscientiâ et incuriâ, assumpsit calefacientia medicamenta; cujus cubiculum perflatum non habuit; cujus alvus, per sex octove dies continuos, nihil reddidit; quive sanguinis detractione, alvive purgatione, multùm debilitatus est. Tali plerumquè curatione febris usquè eò ingravescit, ut vel non omninò possit curari, vel difficillimè et tardissimè. Qui tali curatione non perit, lentissimè revalescit et confirmatur.

Inter signa, quæ, utpotè mitioris febris propria, salutem pollicentur, sunt omnium malorum, de quibus æger conqueritur, mediocritas; arteriarum motus, sexagesimâ quâque horæ parte, non plus centum et viginti; spiritus facilis; facies, vox, et oculi, iis sani hominis haud multùm absimilia; arteriarum pulsus paulatìm tardescentes; et rediens ciborum appetentia.

Scire quoque licet, ægrum non periclitari, si

in latus aut dextrum aut sinistrum, ut ipsi visum est, cubat, cruribus paulùm reductis; qui ferè sani quoque jacentis habitus est; et si facilè convertitur. Contrà in periculo est, ubì supinus jacet, porrectis manibus et cruribus; ubì deorsùm ad pedes subindè delabitur. Illæ notæ ostendunt vires haudùm graviter deficere; hæ paucas, quæ supersint, propè esse ut emoriantur.

Ubì febris incipit ad salutem inclinare, omnes partes solitis denuò muneribus salutaritèr funguntur. Arteriæ tardiùs micant; sitis conquiescit; resanescit mens; stomachus cibos desiderat: revalescens noctu dormit, interdiu vigilat; paulatìmque, viribus recollectis, pristinum vigorem redipiscitur.

Notæ, quæ periculum ostendunt, sunt aut quales partium, potissimùm vitalium, inflammationem vel plenitudinem indicant; aut quales, magnam debilitatem.

Prioris generis sunt, vehemens capitis dolor; facies turgida, et sanguine suffusa ; arteriæ in temporibus vehementèr agitatæ; oculi truces, in eodem obtutu hærentes, sine voluntate illachrymantes, inflammati, lumen refugientes; aures sonorum impatientissimæ; vehemens et continuum delirium; sopor; nervorum resolutio, distentionesve: spiritûs difficultas; dolor pectoris; sanguinis sputum: nausea; vomitus; singultus; stomachi ardor et dolor: tormina; fœtida, et saniosa, vel cruenta alvi proluvies, ventre simul tumido et intento, quo nihil gangrænam certiùs indicat, et subesse mortem. His accedat urina nigra, cruenta, et mali odoris.

Secundum verò ad genus pertinent arteriarum motus debiles, inæquales, frequentissimi, levissimo digiti appulsu interquiescentes; vel earum pulsus tardissimi, quos comitatur stupor, sopiti cerebri testimonium: spirandi tarditas; vel, quod forsàn certiùs adhuc ad ultima ferè jam ventum esse testatur, spi-

ritus subindè singultìm elisus: vertigo, animæ defectus, ubì æger in lecto vel movetur vel erigitur; quæ, sanguinem in cerebrum justo parciùs distribui, ostendunt.

Adde huc vocem imbecillam, alienatam, aut amissam: sudores frigidos et lentos, qui languidum sanguinis motum indicant: notas oris minutas: oculos hebetes, atque, præ musculorum debilitate paralysive, motu languidos vel perversos, seve movendi impotentes; alterum ex iis majorem; palpebras, per somnum, non commissas, sed, inter has, ex albo oculorum aliquid apparens.

Huc adde, quæ oculos torpescere, jamve torpuisse ostendunt, scilicèt tenebras oculis offusas, albasve res maculis quiescentibus seve moventibus nigras; ægrum, delusis oculis confisum, in veste floccos legentem, fimbriasve, si quæ, diducentem; vel in adjuncto pariete, si qua minuta eminent, carpentem: cæcita-

tem. Hæc mala pessima sunt, et raró non lethalia.

Huc accedat devorandi impotentia, quæ pessimi morbi, et vix non lethalis, signum est; quippe cùm impediat, ne in stomachum ingerantur vinum, aliaque quibus vires sustineantur. Hoc tamen in memoriâ tenendum est à medico, ægrum interdùm majorem posse liquidi copiam devorare, minorem tamen non posse; et nonnullos, qui nequeant minusculum vini cochleare glutire, posse majusculum.

Ulcuscula oris, *APHTHÆ* dicta, ubì nigrescunt, pessimæ febris signa sunt. Inflammationi linguæ, aliarumque molliorum oris fauciumque partium, superveniunt; et, ubì in febrientibus nigricant, magnam debilitatem testantur, et lethalem plerumquè prænunciant gangrænam. Nigrescentes itidem partes exulceratæ raró non simili ratione lethum portendunt.

Nervorum singultus et distentiones; tremores manuum et linguæ, hancque proferendi impotentia; quippe cùm magnam ostendant debilitatem, vix non mortem denunciant.

Neque is servari potest, cujus alvus fæces, vesica urinam, voluntatis injussu reddunt; qui, præ muco glutinoso narium et oris, identidem conatur, sed frustrà, exscreare et exspuere; cujus extremitates membrorum inalgescunt et pallent; qui, propter aëra cum glutinosâ salivâ et muco commixtum, ore salivat, et, sicut glutiens vocem, mortifero sonat animæ itineris murmure; cujusque angulis oris glutinosa saliva inhærescit.

Nisi fallat memoria, in aliqua *INAUGURALIUM* hujus academiæ *DISPUTATIONUM* legi, censere sagacem RUTHERFORDIUM, unum bonum signum, modò constans sit, spem salutìs, eamque haud levem, erigere et nutrire, etiamsi multa

simul mala urgeant; et contrà, unum malum perstans, quamvis multa simul bona spe consolentur, magnum periculum portendere. Hujus sanè notitia maximi momenti est; præsertìm junioribus et inexercitatis, qui plerumquè ex numero bonorum malorumve signorum, magis quàm pondere alterutrius, de futuro morbi eventu præsagiuntur.

CAP. VI.

De Curatione.

SUNT medici, qui censeant, continuam febrem posse initio interrumpi, ne solitum cursum conficiat, medicamentis, quæ totum corpus vehementèr concutiant, præcipuè vomitoriis. Ad horum verò sententiam accedere non possum.

Vomitoria tamen, ineunte morbo, proficere minimè nego; præsertìm si stomachus et summum intestinum, ut, præ debilitate, febrientibus haud raró accidit, cruditatibus graventur. His enim vomitu rejectis, obstatur, ne, per stomachum et intestina, irritent totum corpus, et febrem magnoperè aggravent.

Oportet medicos, quibus curæ sint continuâ febre impliciti, inflammationem, si qua, partium discutere vel mitigare; sustinere vires, ne fatiscant; et gravia, si qua, levare mala.

Primo consilio, non solùm vitanda sunt omnia interna, et externa, quæ corpus irritent; sed etiam mitiganda sunt ea irritamenta, quæ vitari non possunt. In iis adeò vitandis mitigandisve, ut digeratur aut levetur inflammatio, consistit *regimen antiphlogisticum*, quod fusè exponit Cullenus.

Quum nihil potentiùs febrientes irritet et excitet, quàm nimius calor, modica corporis temperies quàm maximè servanda est. Hunc in finem, non sat est vitare omnia, quæ corpus calefaciant. Prætereà opus est ex corpore calorem, quoties naturalem multùm excedat, elicere.

Hoc consilio, cubiculum debet perflatum habere, ut aër frigidus ad corpus admittatur.

Æger simul levibus vestimentis contegendus est; neque ei permittendum, ut potus tepidos assumat, nisi pars quædam nobilis inflammatione laboret, vel oriatur lenis sudor. Utile quoque nupèr compertum periculo est, febrientium summo corpori aquam sive frigidam sive tepidam affundere, vel alterutrâ aquâ idem lavare; quibus profectò nihil nimium calorem corporis, et celeres arteriarum motus, potentiùs temperat, ægrumve jucundiùs recreat. Quò hujusmodi caloris sedatio ad spem respondeat, tèr quotidie quatèrve, vel etiam sæpiùs, repetenda; vel, ut ità dicam, toties iteranda, quoties denuò incalescat corpus, et arteriæ motus accelerent.

Alvum quoque, si opus, lenitèr solvere mitissimis catharticis, vel mitibus lotionibus subtèr immissis ducere, multùm proderit, ne stercus induratum corpus sic irritet, ut morbum aggravet.

Nihil tantùm valet ad inflammationem dis-

cutiendam, itemque nimiam partium plenitudinem, quantùm *SANGUINIS* e brachio *DETRACTIO.* In continuis verò febribus, sanguinem ex brachio mittere raró tutum est: quippe, viribus sic amissis, haud leve est periculum, ne æger succumbat debilitati, quæ, sub finem, superveniat. Etiamsi igitur urgeat inflammatio, sanguis ex brachio non, nisi parcè et cautè, mitti debet.

Si partis inflammatio, aut plenitudo, et digeri debet, et ex brachii vena sanguinem mittere metus futuræ debilitatis non patitur, satius erit ministris hirudinibus elicere ex eâ ipsâ parte, aut certè quàm proximâ. Sanguinem sic emittere, ut minùs vehemens auxilium est, ità magis tutum.

EXULCERATIO quoque, ad partium inflammationem et plenitudinem discutiendam, multùm conducit. Si igitur in continuâ febre, partes his malis afficiuntur, emplastrum exulcerato-

rium partibus, quæ his proximae sunt, inducendum est.

Ad idem aliquantùm confert *sudatio*. Si igitur, primo febris spatio, corpus eò, ut insudet, inclinare videtur, ad idonea, quibus aliquandiù tutò eliciatur sudor, decurrendum est. Hujusmodi autem sunt potus diluentes; vomitoria tantulis dosibus, quantulæ nauseolam moveant; pedum et crurum fotus; aliaque, si qua, quæ, dum evocant sudorem, non, ultra modum, corpus stimulant et calefaciunt.

Sempèr nocivum est, invitâ naturâ, stimulantibus et calefacientibus sudorem excitare, ut olim consuêrunt cùm medici, tum hominum vulgus. Quò enim sudorem evocarent, ægrum penè strangulabant cubiculi, tanquàm fornacis, fervore, vestium onere, accensis ignibus; dum ei ministrabant potus calidos et stimulantes, quos in stomachum ingereret.

Secundo consilio, oportet cavere, ne, pro-

grediente febre, vires labent et decedant. Ne, viribus declinantibus, periculosa superveniat debilitas, oportet in ægri cubiculum aëra frigidum et salubre, per apertas fenestras et fores, intromittere; ei vinum et potulenta frigidula ministrare; corpus, quoties opus, aquâ frigidâ lavare, eive hanc affundere. Hæc, dum obstant debilitati, arcent aut inhibent profusos et gelidos sudores; qui, febre provectâ, in partibus erumpunt, at adeò non prosunt, ut ægri vires permultùm dissipent.

Ægro, qui, productâ febre debilitatus, torpore et sopore premitur, exulceratione subveniendum est. Emplastra *meloës exulceratorii* capiti, pedibus, aliisve partibus idoneis inducta, optima videntur, quibus possit exsuscitari, ut ea assumat et faciat, quibus febris vim tandem exsuperet.

Vinum autem omnibus præpotest medicamentis, quibus sustineantur et nutriantur vires

eorum, qui diù febre continuâ cònflictati sunt. Ægris convenire et prodesse, intelligunt medici ex ejus effectibus. Quoties eorum, qui assumunt, non solùm palato jucundum est, et stomacho benè sedet; sed etiam vires sustinet et reficit, et arteriarum motus tardiores, at validiores et firmiores, reddit: scire licet, potentissimum praesidium esse, cujus ope se restituere perseverare debeant.

Æger, ut primùm vires paulùm redeptus sit, et usquè eò revaluerit, ut tutò rhedâ vehi possit, debet ex urbe in rus gestari: quo salubribus auris vescatur; et novo lacte, diætâ levi, lenibus sub sereno exercitationibus, et jucundâ naturæ rerum varietate fruendo, se reficiat, restituat, et confirmet.

Tertio consilio, malis, quæ, morbi cursu, magnâ molestiâ ægrum afficiunt, medicus subvenire debet. Horum præcipua sunt ingestorum vomitus, et nocturna vigilia.

Vomitus quò pacetur, æger debet, interjectis temporibus, assumere *citratem potassæ*, dum, partibus constituentibus primùm coëuntibus, etiamnùm effervescit. Hic plerumquè stomacho idoneus est, et benè sedet, ubì alia æqualitèr omnia, protinùs ut assumpta, revomuntur. Quinimo non solùm ipse plerumquè retinetur, sed etiam, irritabilitate aliquatenùs sedatâ, reddit stomachum minùs impatientem aliorum.

Ad vomitum quoque sedandum, multùm pollent fotus externi abdominis super stomacho, itemque exulceratio. Hæc pars foveri potest laneis, vel ex aquâ calidâ expressis, vel ex hâc et *alcohole*. Exulceranda est eadem pars, si opus, inducto ei emplastro exulceratorio. Ad exulcerationem autem non decurrendum est, nisi leviora præsidia nihil valuerint.

Vigiliæ subveniendum est iis medicamentis, quæ somnum conciliant. Horum nullum opio

potentius est. Hoc igitur, omni vespere, formâ quâdam commodâ ægro ministrandum est, ut tranquillet animum, et omnes sensus dulci perfundat somno.

FINIS.